Toletana Decimarum.

Reu. Pater. SAnctimoniales Clausæ Monasterij Ordinis S. Dominici Ciuitatis Toleti supplicant huic Supremo Auditorio pro noua Audientia aduersus vnicam decisionem editam in hac tertia, & vltima Instantia, quam sperant ex consueta benignitate obtinere, tùm quia decisio est vnica, tùm quia versamur in tertia, & vltima Instantia, itaùt Monialibus aliàs non supersit recursus, quo casu ex benignitate Sacri Tribunalis concedi consueuit noua Audientia, tùm etiam quia in hac Instantia ex Parte Aduersariorum fuit productus titulus exemptionis à solutione decimarum, qui non fuit nisi in præcedenti propositione discussus, tùm denique quia fundamenta contrariæ decisionis in facto non subsistunt, ad quem effectum facti seriem præmittendam duxi.

Constat enim ex facti documentis in hac tertia Instantia compulsatis, & productis ex parte Reuerendissimi Archiepiscopi, & Capituli Toletani, & consortium in decimarum participatione, quod era 1402., siue anno Christi 1364. ad Instantiam, & supplicationem Serenissimi Regis Hispaniarum concessa fuit Prouinciali Ordinis Sancti Dominici licentia construendi in Ciuitate Toletana, & pro honore d. Ciuitatis Monasterium Monialium Clausarum in Domibus Agnetis Garziæ per Archiepiscopum, & Capitulum d. Sanctæ Ecclesiæ, *ità tamen vt* Moniales in dicto Monasterio includendæ esse deberent exemptæ à solutione decimarum quoad fructus bonorum valoris 25. m. merapetinorum monetæ tunc currentis, proùt sunt verba Priuilegij tunc concessi, *vt ex secundo Summario Additionali num. 1. litt. II., & litt. KK.* ibi = *Che le Monache Religiose di detto Monastero &c. debbano sempre compitamente pagare quel che appartiene, ò appartenesse toccante alle decime Ecclesiastiche di tutti li frutti di tutte le Possessioni, che fussero Decimali, ed'ognuna di quelle, che ora hanno, ò auessero in appresso in qualsiuoglia maniera &c., e che nò ottenghino per se, ne per altra persona priuilegio ne libertà di non dare le dette Decime; Et in caso che ottenessero diuersamente ò dal Papa, ò da alcun'altro, che gle lo dasse di suo proprio moto, e volontà, che non vsino di tale Priuileggio; E che non paghino Decime di QVELLE POSSESSIONI, che saranno nominate, e specificate al tempo, che si porranno in Clausura, QVALI POSSESSIONI HANNO DA ESSERE DELLA QVANTITA, E VALORE DI VENTICINQVE MILA MARAVIDIS DI QVESTA MONETA VSVALE, CHE ORA CORRE, ED HANNO DA ESSERE APPREZZATE, E NOMINATE COLLA VOLONTA, E CONSENSO NOSTRO, ò di quello, ò quelli alli quali noi daremo l'incombenza &c. e que-*

e questo per far bene, ed elemosina al Monastero sudetto =

Cum supradictis itaque conditionibus, & causis Reuerendissimi Archiepiscopus, & Capitulum ad supplicationem Regis Hispaniarum concesserunt Monialibus exemptionem à solutione Decimarum Ecclesiasticarum limitatam, scilicèt ex fructibus bonorum, quæ ascenderent ad summam 25.m. merapetinorum monetæ tunc currentis, quæ bona deberent æstimari de consensu Archiepiscopi & Capituli, seù ab ipsis deputandorum, vt ex verbis superius transcriptis apparet.

In vim dictæ licentiæ constructum fuit in Ciuitate Toletana Monasterium in ædibus Agnetis Garziæ Fundatricis, quo constructo, & perfecto, dicta Fundatrix assignauit pro dote illius totum Tenimentum, quod possidebat in Perobequez, & duas magnas Vineas, quas possidebat in Territorio Toletano, cumque Ministri Reuerendissimi Archiepiscopi, & Capituli deputati pro Decimarum exactione prætenderent exigere Decimas ex fructibus, quos Moniales colligebant ex dd. Tenutis in dotem assignatis, recursum habuerunt ad Reuerendissimum Archiepiscopum, & Capitulum era 1412., scilicet anno Christi 1378. decem annis post concessam licentiam ædificandi Monasterium, & narratis molestijs, quæ ipsis inferebantur super decimarum solutione, & allegando concessionem d. exemptionis ipsis Monialibus concessam pro bonis vsque ad summam 25.m. merapetinorum, quòd ipsæ non adhùc tot bona possiderent, quæ ad dictam quantitatem ascenderent, supplicarunt, vt procederetur ad dictorum bonorum æstimationem, & proindè Reuerendissimum Capitulum delegauit duos Canonicos d. Sanctæ Ecclesiæ, vt procederent ad æstimationem bonorum, quæ tunc Monasterium quocumque titulo possidebat, *d. 2. Summ. Additionali num. 2. litt. A. B., & C.* quam deputationem deindè confirmauit Reuerendissimus Archiepiscopus *d. num. 2. litt. E., & sequentibus*, & dd. Canonicis commiserunt ibi = *& concedimus nostrum posse legitimum, vt videatis, & sciatis ad quam summam ascendant hæreditates, & bona, quæ dd. Moniales habent, & tenent, tùm titulo emptionis, quàm donationis, & ea æstimare faciatis an valeant dd. 25.m. merapetinis, & si pluris valerent, mandetis vt soluant, & soluere teneantur dd. Moniales Decimas EX FRVCTIBVS BONORVM, QVÆ POSSIDENT VLTRA DICTAM QVANTITATEM, & si minori pretio valerent volumus, & mandamus, vt obseruetur gratia, & merces, quas dictus Dominus Archiepiscopus, & nos fecimus vsque ad dictam quantitatem*; Ex cuius tenore liquidissimò constat, quod Moniales debent frui, & gaudere exemptione à solutione Decimarum ex fructibus Bonorum, quorum valor excedit summam 25. mil. merapetinorum, quæ tunc currebat in Ciuitate Toletana.

Pro-

Processerunt dd. delegati ad æstimationem bonorum, quæ Monasterio fuerunt in dotem assignata, & tunc dd. delegati comperierunt, quod Moniales possidebant *totam hæreditatem, quæ ad illas peruenit in Perobequez, & suis terminis dicto secundo Summario additionali num.2. litt.M., quæ Tenuta fuit æstimata* 12. *mil. merapetinis* monetæ tunc currentis *d. litt.M.*, , possidebant duas conspicuas Vineas in Territorio Toletano vnam in loco nuncupato Almiradiel, quæ fuit æstimata 5500.merapetinis, & aliam Vineam in eodem Territorio æstimatam bis mille merapetinis *dicto Summario num.2. litt.M.*, & quas quidem Vineas Moniales non amplius possident, cumque valor dd. bonnrum non ascendebat ad summam 25. mil. merapetinorum, sed dumtaxàt ad summam decem, & nouem mille, & quincentum morapetinorum, & proindè præcitati Canonici delegati iuxta formam commissionis, & delegationis specialis, quam habuerunt ab Archiepiscopo, & Capitulo, declararunt, quòd ex quo Moniales non adhùc possiderent bona, quæ ascenderent ad valorem 25. mil. merapetinorum, non tenebantur soluere decimam, vt ex dicto *Summario additionali num.2. litt.O.* ibi = *Quæ omnia dd. bona, & hæreditates reperiuntur ascendere ad summam* 19. *mil. merapetinorum istius dictæ monetæ, qua nunc vtimur, & postmodum ipsi comperierunt quòd dictum Monasterium, & Moniales non habent, neque possident alias hæreditates, neque bona, quàm supradicta, quæ dedit dicta Agnes Garzia, quæ adhùc non ascendunt ad summam supradictam, quæ habere debent exempta, vt supra dictum est: Quodque illæ, pro dd. bonis, & hæreditatibus supra descriptis, quæ nunc habent, non debent, neque tenentur soluere decimam,* = & inferius *litt.O.* ibi = *Et hac ratione dabant, & dederunt pro liberis, & exemptis dd. Moniales, & Manasterium à solutione decimarum, ex fructibus hæreditatum, & bonorum supradictorum, quæ nunc possident.*

Cum autem ista exemptio concessa per Archiepiscopum, & Capitulum in limine fundationis fuit personalis tamquam principaliter concessa, seù directa Monialibus pro bonis vsque ad dictum valorem, quo casu exemptio dicitur personalis, & non fuerunt principaliter exempta bona, hinc est, quòd dicta exemptio licet suffragetur Monialibus si proprijs sumptibus colant dd. bona, non tamen d. exemptio extenditur ad Colonos partiarios dd. bonorum, & multò minus ad Conductores, & proindè tàm Colonus Partiarius, ex sua portione, quàm Couductores soluere tenentur Decimas Decimatori vniuersali iuxta *Glos. magistral. in clem.*1.*verb. excolendas versic. de decimis vbi quærit*, quod si aliquibus concedatur exemptio indefinita à decimarum solutione, an ista exemptio extendatur ad Colonos partiarios, & dicit esse inspiciendum Priuilegium: Nàm si exemptio concessa sit Personis, tùnc tamquam personalis non extenditur ad Colonos, si verò est concessa bonis, tùnc

exem-

exemptio dicitur realis, & extenditur ad Colonos, & conductores quam glossam communiter sequuntur *Canonistæ super d.Clem. nempè Card. num.22., Abb.num.10., Ancharan.num.6., Imol.num.14., Vitalin. num.29., Barbos. in collectaneis ad d. Clem. num.4., Azor. institut. Moral. par.1. lib.7. cap.37. quæst.7.*, indiuidualiter *Rot. decis.23. num.5. par.2. diuers.*, ad hoc enim, vt exemptio dicatur Realis, & transitoria ad Colonos, & Conductores, oportet, vt principaliter priuilegium eximat Terras, seù Prædia, vt pluribus, & infinitis authoritatibus adductis probat *Rot. dicta decis.23.num.6. par.2. diuers.* ibi = *Tùnc enim esset remissio Realis transitoria ad Colonos, seù Censuales, quando respiceret ipsas Terras, seù Prædia, tùnc enim priuilegium exemptionis decimarum dicitur reale, quando eximit Terras, seù Prædia*, = vt dicunt *glos. &c.* vbi infinitas allegat authoritates, quinimò subiungit ibi *Rota num.7.*, quod indubio exemptio à solutione Decimarum non debet censeri Realis, sed personalis tamquàm minus præiudicialis Episcopo, & proindè in dicto casu declarauit Rota, quòd quædam concordia stipulata inter Episcopum, & ordinem militarem inducebat exemptionem personalem fauore Commendatarium, quodque tamquàm personalis, & Personis concessam non extendebatur ad Conductores, & Colonos, qui decimas soluere tenebantur; Sed quòd Æquites esse deberent exempti quotiès bona Commendarum proprijs sumptibus colerent, vt ex *d. dec.23, n.7.*

Quòd autèm in casu nostro exemptio fuerit personalis, & non realis, non solùm liquet ex dicto titulo exemptionis exaduerso producto, ex quo apparet exemptionem fuisse Monialibus concessam pro bonis vsque ad valorem 25. mil. merapetinorum, & sic tanquàm concessa fauore Personarum dicitur personalis, sed etiam constat ex declaratione exemptionis factà per delegatos, in qua post æstimatam Tenutam de Perobequez dd. delegati non declararunt Tenutam de Perobequez exemptam, sed declararunt Moniales exemptas à solutione decimarum fructuum, quos ex dicta Tenuta colligerent *dicto secundo Summario additionali num.2. litt.O.* ibi = *Quodque illæ pro dd. bonis, & hæreditatibus supra descriptis non debent, neque tenentur soluere decimas*, = & *litt.P.* ibi = *Et hac ratione dabant, & dederunt pro liberis, & exemptis dd. Moniales à solutione decimarum ex fructibus hæreditatum, & bonorum supradictorum* = itaùt non fuerunt declarata exempta bona, sed Personæ, & proindè est personalis, & non Realis, & pro personali semper dicta exemptio habita, & obseruata fuit, nàm Moniales semper fuerunt exemptæ à solutione Decimarum præsertim dictæ Tenutæ de Perobequez æstimatæ in limine fundationis solum quoad illam partem, quam proprijs expensis colebant, sed Coloni partiarij, seù Conductores d. Tenutæ semper Decimas persoluerunt, vt deposuerunt Testes

Testes examinati annò 1642., & anno 1702., de quibus in nostro *Summ. principali n.1., & 3.*

His ita præmissis, cum ex bonis æstimatis Anno 1378., Moniales nunc possideant solum Tenutam de Perobequez æstimatam 12. mil. Merapetinis, hinc est, quod cum Moniales sint exemptæ pro bonis vsquè ad valorem 25. mil. Merapetinorum, vtiquè debent esse exemptæ à solutione Decimarum pro tot alijs bonis, quæ ascendunt ad valorem 13. mil. Merapetinorum, ita vt ex dicta productione tituli facta ab Aduersa Parte, quem validum, & efficacem esse firmauit hoc Supremum Auditorium in contemporanea fauorabili Decisione, nulla cadere potest alia inspectio, nisi, an bona, quæ semper Moniales excoluerunt proprijs expensis, & ex quibus decimas à tempore Immemorabili non persoluerunt, & quæ prætendunt esse exempta excedant nec nè d. valorem 13. mil. Merapetinorum, nàm si d. summam non excedunt, non possunt compelli ad decimarum solutionem.

Quamuis autèm verum sit, quod Moniales possident conspicuas Tenutas, & Tenimenta in Territorio de Vrtada, in Territorio de Oleas, in Territorio Vallis Sancti Dominici, Xerindote, Alcabon, & Magan, nihilominùs Moniales non prætendunt exemptionem, quoad omnia dd. Tenimenta, sed dumtaxàt quoad minimam illorum partem, quàm constanti methodo, & continuatis annis semper colere consueuerunt proprijs expensis, nempè ex Tenuta de Vrtada, quæ constituitur dumtaxat ex 50. fanegis iuxta probationem exaduerso factam, de qua in dicto nostro secundo *Summario Additionali Num. Primo litt. C.C.C.*, ex qua Moniales non teneri ad decimarum solutionem decernitur in contemporanea fauorabili decisione.

Ex quatuordicim Tenimentis, quæ possidet Monasterium in Territorio Villæ de Oleas quorum singula constituuntur ex 40. fanegis prætendit Monasterium solum exemptionem, quoad vnicam Tenutam 40. fanegarum, quam semper coluit proprijs expensis Monasterium.

Et licèt in alijs Territorijs scilicèt *Vallis Sancti Dominici, Magan, Xeridote, & Alcabon* conspicua Tenimenta possident, nihilominus non prætendit exemptionem nisi quoad Oliueta, quæ semper coluit proprijs expensis, vt in propositione causæ plenè probauimus; De conspicuis vero Tenimentis, quæ semper locare consueuit, nullam nostrum Monasterium exemptionem prætendit.

Debent enìm Reuerendissimi PP. sedulò perpendere, & considerare: Quod Moniales nostri Monasterij continuata annorum serie semper coluerunt dicta Olìueta, & dictam Tenutam 40. fanegarum in loco de Oleas, & perpetua semper serie cætera bona conspicuæ quantitatis, quæ in Territorijs dd. locorum possidet, locauit, nec

nec vnquàm locauit Tenimenta, & Olìueta, quæ continuata annorum serie proprijs expensis coluit, & è conuerso nunquàm proprijs expensis coluit cætera Tenimenta, sed ea semper locauit, ex hoc enìm discritiuo modo colendi aliqua Tenimenta semper, & continuata serie annorum proprijs expensis, & ex illis decimam non persoluere, & è conuerso ex continuata serie annorum locandi cætera Tenimenta, proùt distinctè deposuerunt nostri Testes super interrogatorijs Partis Aduersæ, ex quibus à colonis, & conductoribus semper soluta fuit decima, satis superque inducitur præsumptio, quod dd. bona semper culta expensis Monasterij, & ex quorum fructibus Moniales nunquàm soluerunt decimam fuerint æstimata, & comperta illorum valorem non excedere summam tresdecim mille Merapetinorum, quæ deficiunt pro complemento nostræ exemptionis: Non enìm permisissent Archiepiscopus, Capitulum, & alij Decimarum comparticipes, qui tanta potentia, & authoritate pollent in Ciuitate, & Diœcesi Toletana, vt satis notum est, nequè tolerassent, vt Moniales non soluerent ex dd. bonis Decimas, si illa excederent valorem 13. mil. Merapetinorum; Præsertìm quia cum Moniales sint Reæ, & possessores debent releuari à quocumque onere probationis *Leg. si possidetis Cod. de probat. leg. cogi, vbi Doctores Cod. de pet. hæred., Rot. coram Coccin. decis.*278. *num. primo coram Cauallcr. decis.*362. *num.* 2., *& in Recen. decis.* 476. *num. primo, & 6. part. prima, & decis.* 319. *num.* 4., *& decis.* 698. *num. primo part.* 2., *& decis.*460. *num.*11., *&* 510. *num.*13. *part.*19. *Recent.*, adeoùt cum Reuerendissimi Archiepiscopus, & Capitulum, alijque comparticipes non probauerint, quod bona, quæ Monasterium nostrum prætendit exempta excedant summam 25. mil. Merapetinorum Moniales absolui debent tanquàm Reæ, & possessores à solutione Decimarum *Leg.* 2. *Cod. de probat., leg. qui accusare Cod. de edendo,* & passim apud Doctores.

Et ad summum prætendere possunt Reuerendissimi Aduersarij, quod procedatur ad dictorum bonorum æstimationem, & deputentur Periti, tàm super valore Merapetinorum, qui currebant de tempore concessionis, quàm super valore dictorum bonorum, & si compertum fuerit, quòd vltra Tenutam de Perobequez, æstimatam 12.mil.Merapetinis, dicta Tenuta de Oleas, & dicta Olìueta, ex quibus dumtaxàt Moniales prætendunt exemptionem personalem à Decimarum solutione excedant valorem aliorum 13. mil. Merapetinorum, tùnc Reuerendissimi Aduersarij Decimam prætendere possunt ex ea parte, quæ dictum valorem excedit, proùt specificè in titulo, & priuilegio cautum fuit, & præsertim ex *Summario num.*2. *litt.C.* ibi = *Et si pluris valerent, mandetis, vt soluant & soluere teneantur d.d. Moniales Decimas ex fructibus bonorum, quæ*

quæ possident vltra dictam quantitatem, scilicèt 25.mil. Merapetinorum.

Non possunt enim Moniales adeò absolutè condemnari ad Decimarum solutionem ex omnibus Tenimentis, quæ possident contra formam tituli clari, & validi exaduerso producti, ex quo constat quod Moniales debent esse exemptæ à solutione Decimarum ex fructibus bonorum, quæ ascendunt ad summam 25.mil. Merapetinorum, sed quoad bona, quæ dictum valorem non excedunt, non debent condemnari ad Decimarum solutionem, quotiès habemus titulum clarum, validum, & spatio ferè quatuor sæculorum obseruatum, & iam ab hoc Supremo Auditorio in contemporanea Decisione declaratum pro valido, & legitimo.

Nec subsistit responsio data in contraria Decisione §. *Nec iuuante replicatione*, quòd scilicèt cum titulus dictæ exemptionis non respiciat generalem exemptionem omnium bonorum à Monasterio acquirendorum, sed pro sola rata valoris Merapetinorum 25. mil., visum fuit Dominis incongruum exemptionem extendere ad conspicuam quantitatem bonorum modernis temporibus acquisitam; Quia facilitèr satisfacimus obiecto, nàm nunquàm Moniales habuerunt prætensionem dictam exemptionem extendere ad omnia conspicua Tenimenta, cum earum exceptio semper in omnibus instantijs restricta fuit ad illa modica Tenimenta, quæ proprijs expensis colebant, nam maiorem partem dictorum Tenimentorum sempèr, & continuata annorum serie locarunt, vt Reuerendissimi Aduersarij Decimam exigerent, proùt exegerunt, quòdque minimam dictorum Tenimentorum partem ex dictis conspicuis Tenimentis colere proprijs expensis consueuerunt liquet, quòd ex tresdecim Tenutis, quæ possident in loco de Oleas, quarum quælibet constituitur ex 40. fanegis, vnam dumtaxàt colere consueuerunt proprijs expensis, & ex ea dumtaxàt Decimam non soluebant, alios verò duodecim semper locarunt, & ex illis Decima soluta fuit, vt deposuerunt quatuor Testes nostro *Summario* principali *num.*3. *lit.*KK. *litt.GGG.*, *&* *litt.EEEE.*, *& Summario Additionali num.primo litt.G.* sic quoque nostrum Monasterium in Valle S. Dominici, Magan Xerendotæ, & Alcabon possidet conspicuas Tenutas, quas semper locauit, & ex illis semper soluta fuit Decima, & solum in Territorijs d.d. locorum proprijs sumptibus, & expensis coluit Olіueta, ex quibus dumtaxàt prætendit Monasterium exemptionem, & quemadmodum congruum non est dictam exemptionem limitatam non extendere ad d.d. conspicua Tenimenta, proùt Moniales dictam extensionem nunquàm prætenderunt, ità videtur magis incongruum non concedere Monialibus exemptionem ex fructibus tot bonorum, quæ constituunt valorem

25.mil.

25.mil. Merapetinorum, cum vsque ad d.summam titulus est clarus, & irrefragabilis, & pro dicta summa contenta in dicta concessione non potest Monialibus exemptio denegari.

Hinc corruunt fundamenta contrariæ Decisionis in §. *Validitas*, *& sequentibus*, quòd scilicèt Moniales non doceant de immemorabili, neque de quadragenaria cùm titulo, quæ debet à Monialibus, qui in præscriptione innituntur plenè probati.

Etenim in præsenti, & in hàc Instantia, in qua Pars aduersa gratiam fecit Monialibus producendi titulum exemptionis in limine fundationis Monasterij concessum, vndequaque validum, & legitimum tamquàm datum iuxta Canonicas sanctiones ex legitima Causa, & de consensu Capituli, non indigemus rigorosa probatione immemorabilis, aùt quadragenaria cum titulo colorato, sed nobis sufficit ostendere dicti tituli obseruantiam, & exequutionem, & non est dubium, quod ad formam dicti Tituli Moniales debent esse exemptę à solutione Decimarum vsque ad valorem viginti quinque mille Merapetinorum, cumque ab hoc Supremo Auditorio declarata fuit exempta Tenuta de Perobequez in limine fundationis, æstimata 12.m. Merapetinis oportet vt ad formam dicti tituli declarentur Moniales exemptæ à solutione Decimarum ex fructibus tot bonorum, quæ ascendunt ad valorem 25.m. Merapetinorum, quia ad formã d.tituli Moniales debent esse exemptæ ex tot bonis, quæ d.summam attingant, vt superiùs est probatum.

Et non solum habemus titulum clarum, & legitimum, sed etiam continuatam illius obseruantiam à prima concessione, vsque ad præsens, & sic spatio fere 400. annorum, dum Moniales ad formam d.personalis exemptionis nunquàm Decimas persoluerunt ex fructibus bonorum, quæ proprijs expensis coluerunt, quæ non videntur excedere dictam summam 25.m.Merapetinorum, & si Reuerendissimi Aduersarij prætendunt, quod dd.bona semper culta expensis Monasterij, ex quibus nunquàm Decimam persoluit oportet probare quod valor illorum dictam summam excedat, sine qua probatione Moniales debent à solutione Decimarum absolui.

Hinc frustatorium est assumere examen fundamentorum contrariæ decisionis, quæ conatur ostendere, quòd ex depositionibus Testium examinatorum anno 1702. non elicitur perfecta probatio Immemorabilis cum omnibus suis requisitis, supponendo, quod vnum requisitum desumatur ex depositione vnius, vel alterius Testis, aliud ex depositione alterius, & sic de singulis, nàm vltra quod id facilè dilui potest, cum ex Testibus examinatis anno 1702. nos seligimus quatuor Testes, qui dantur in *Summario principali num.3.*, qui cum omnibus requisitis deposuerunt, & alij duo Testes, qui paritèr cũ omnibus requisitis Immemorabilis deposuerunt, qui dantur in *Summario Additionali num. 2., & 3.*, dicimus negari saltem non

non posset omnes Testes deposuisse de exemptione Monialium limitata ad Prædia, quæ proprijs expensis coluerunt, de visu vltra annos 40., de auditu à maioribus, qui idem dicere audiuerant ab alijs maioribus, & per consequens deposuerunt de obseruantia dictæ limitatæ, & personalis exemptionis, ex qua quidem tàm longeua dicti tituli obseruantia magis validitas dicti tituli remanet confirmata.

Eadem ratione consultò omittimus respondere alijs obiectis contrariæ decisionis, quæ concernunt vel defectum requisitorum consuetudinis Immemorabilis, vel defectum requisitorum quadragenariæ cum titulo, qui licèt ocularitèr ex Testium depositionibus demonstrari posset in facto, non subsistere, adhùc esset labor inutilis, nàm supposita validitate tituli, illiusque inconcussa obseruantia, tribui debet Monialibus exemptio à solutione Decimarum, quę suis sumptibus colunt vsque ad summam 25. m. Merapetinorum: Et quousque Actores, qui dictum titulum compulsarunt, & produxerunt, non ostendant, & probent, quod Prædia coli consueta per Moniales proprijs expensis, ex quibus nunquam Decimam persoluerunt, excedant d. summã 25.m. Merapetinorum, semper Monialibus concedenda est absolutoria.

Quo vero ad decisionem super manutentione eò faciliùs est concedenda noua Audientia, quia iniustitia Decisionis quoad manutentionem est magis conspicua, cum enim Moniales sint, & fuerint spatio tot annorum in quasi possessione non soluendi Decimas ex fructibus bonorum, quæ proprijs expensis colere semper consueuerunt, & Pars aduersa produxerit titulum, qui Monialibus concessa fuit exemptio à solutione Decimarum ex fructibus tot bonorum, quæ ascenderent ad summam 25.m. Merapetinorum, vtique concedenda erat Monialibus manutentio in quasi possessione donèc, & quousque Reuerendissimi Aduersarij probauerint, quod bona coli consueta expensis Monasterij summam in concessione exemptionis contentam excedant, ex quibus speramus Monialibus nouam Audientiam esse ex benignitate huius Supremi Tgibunalis indulgendam, vt supplicatur.

Quare &c.

Vitus Angelus Caualletti.

Rmo P. D.

FALCONERIO

Toletana Decimarum super bono Iure

PRO

Ven. Monasterio Monialium Clausorum Ord. S. Dominici Ciuitatis Toleti.

CONTRA

Illmos DD. Archiepiscopum, & Capitulum Toletanum.

Memoriale pro noua Audientia super vtroque Dubio.

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.